



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Davidis Regii Prophetae Psalterivm

Moritz <Hessen, Landgraf>

Smalcaldiae, 1593

VD16 B 3258

Psalmvs VIII. Domine Dominus noster, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://urn.nbn.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

*Pœnam quotidiè malis minatur,
Si non pœnitet illius nefandi
Peccati : potius iuuat leuare
Iram, quâ Deus ardet æstuatq;
Ecce ensem exacuit suum Iehoua,
Arcum viribus en suis tetendit
Teliis mortiferis necem minatus.
Concepit facinus malignus hostis
Prægnans atq; graui dolore partus,
Turpem mox pariet leuemq; abortum.
Damnosam foueam piis parauit.
Et quos ipse aliis dolos struebat,
Hos in perniciem sui tetendit,
Ac ipse in foueam incidit dolosam,
Quâ cœu decipula pios petebat.
Et sic propria fraus nocebit ipsis
Ferri, vulnera sentient, dolosi.
Nunc grates referens Deo benigno
Eius nomina clara prædicabo.*

PSALMVS VIII.

Domine Dominus noster, &c.

Summe

SVmme Deus noster, moderator maxime rerū,
Quām tua maiestas, laus, admirabile nomen,
Et decus à terris omnem super athera surgit.
Ipſa tuas lactens profert infantia laudes,
Roboris immensi praconia concinit ore.
Vt male confusus taceat tuus hostis & vltor.
Aspiciens Cælos, Lunam Stellasq; micantes,
Cuncta manq; sapiens tua quā monimēta creauit.
Non me contineo, tacitus quin mente reuoluam:
Ecquis homo, nisi vilis, humili de semine, massa?
Quae propago potest mortalis tanta putari,
Vt memor ipsius digneris visere prolem?
Fecisti paulisper eum subsidere Numen
Infra: à te tamen eximio decoratur honore.
Hunc operi, quodcunq; manus tua celsa parauit,
Præfisis, illius pedibus simul omnia subdis.
Vt tanquam fortis Domini sub iura vocentur,
In viridi campo pecudes, genus omne ferarum,
In syluis & aues volitant ubicunq; per auras,
Ac ubicunq; natant diffusa per aquora pisces.
Summe Deus noster, moderator maxime rerum,
Quām tua maiestas, laus, admirabile nomen,
Et decus, à terris omnem super athera surgit.

C PSAL.